

Georgius Machaus

Orationum, De formis Rerumpublicarum. Tertia, De Democratia

Rostochii: Sax, 1615


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729140512>

Druck Freier  Zugang



G. Machaus.

R. U. phil. 1615.



ORATIONUM,
De formis Rerumpublicarum.
TERTIA,
DE
DEMOCRATIA.

In Illustri Rosarum Academia,
29. Octobris in auditorio majori

PUBLICE PRONVNCIATA,
à
GEORGIO Machaus Wistoch. March.



ROSTOCHII
EXCUDERAT MAURITIUS SAXO.

Anno M. DC. XV.



INSIGNI DOCTRINA AC ELE-
ganti morum integritate praestantissi-
mo Viro--Juveni,

DN. MARTINO SILLERO
Memelà-Pruteno,

Commensali & amico suo, inter exoptatissimos
optimo,

Hoc levidense,
candidissimi affectus ergò,
inscribit AUTHOR.





— Quò fata trahunt retrahuntq; sequamur ;

NON minùs religiosè quam verè, peritissimus ille, apud Maronem nauta decantat Palinurus: R. A. Consult: Cl. Doctissimiq; Viri, tuq; præfens genere & virtute nobilissima, & tu pietate & eruditione ornatissima cohors: Religiosè quidè, dùm scilicèt, si ad Aristophanis lucernam id appendere nobiscùm, conventum fuerit, extra omnem dubitationis aleam, soleq; clarius sit meridiano, eundem se superiorem quendam, quo solo nitatur, cui soli reverentiam debeat, agnovisse: quippè cum in mari infortunio quopiam jactamur & obruimur, neminem nostrum aliter loqui aliterve sentire, sed quavis seriò nostris exhalari cordibus, necessitatemq; preces progerminare scimus: Verè autem dùm nobis hominibus, consultò hoc vel illud, sive bonum sive malum arripientibus, & strenuè studiosèq; in eo perseverantibus, etiam id expectandum esse, fata quod super id decrevere, montes, silveq; loquuntur. Quemadmodù enim Palinuro, in mari, cui semel se ~~quis~~ devoverat, (quod tamen bonum spectabat finem) rem adversam, licèt omnes intendisset nervos, mutare non fuit integrum, sed exitum eius illum oportebat experiri; ità & cujusvis est qui semel addictus studio, contentiosè id expedire contendat, similiter id eventurum ob oculos sibi proposuisse. Quod cùm omnibus, quorum judicii trutina adhuc minùs est corrupta, confitendum sät mihi perspectum habeo, tum mihi maximè, non ignorant, qualis & quanta sit in præfenti rerum mearum facies; non ignorant, esse Deum, quo vivo, quo vitę munera, qualiacunq; sive in iis sustentationem sive opitulationem mei spectè, conor, persequor, exequor, quo nitar quiq; omni mihi sit prosequendus reverentia; non ignorant, me etiam in jam jam apprehendendo & perficiundo proposito meo, quæ fatorum supra id ratio postulet, debere præstolari. Id autem quid putes futurum? O Democratia, cur tui amore tam vehementi flagro? cur & sororum sociarumq; tuarum dulcedine, æquè ac tua non demulcear delectervè; cur ego qui te pro dignitate propugnare, præ omnibus deprædicare, omnium mini-

mū sum instructus, à semel concepta non abducor sententia? equidem, non diffiteor, linguam ad id mihi inhabilē esse, naturam debitos ciere affectus mihi denegasse, nullam tandem manum, etiam in presenti vestibulo promptitudinē, sed tarditatem representasse. Sed quid? perisio, refugia quæro longē gratissima, maximaq; unde mihi pullulat redundatvè consolatio; his fulcitus excitor, excitatus incepta persequor. Nempe te Regem regum, Dominum dominantium te meum quovq; imperatorem agnosco profiteorq; clavum in hoc suscepto æqvoris itinere tibi dirigendum relinqvo, semel quod inceptum, dūm tam enixē studeo tranſigendum, spe tamen fretus fortissima, te æquanimum, quem malorum defensione, exercitii ergo & profectus honesti, suscepta, non vsq; adeò offensum iri scio, clementissimē etiam in hac laudabili re mihi largiri, ut ora, quæ mihi sint exoptatissima, eontingere queam. Te tot clarissimorum, tot præstantissimorum, tot præclarorum juvenum coronam, te rogo, mihi jam soluturo, nihil nisi unicum, qui est benevolentia, spires odorem, quem, si tantus in me, quantum in præcedentes meos fuerit, eò ducam acceptiorem; interrim pollicens, eo facto non abs re quid fore, quandoquidem ut res modò controversa clarior evadat, opus adhuc sit censura tertia. Atq; sic Quò fata trahunt retrahuntq; sequemur. Multis signis natura declarat, quid velit ac quærat, quid desideret, absurdescimus tænen, nescio quomodo nec ea, quæ ab ea monemur, non audimus. Quibusdam felix monstrat ingenium, quibusdam stabilem ostentat memoriam, quosdam iudicii arguit acrimonia, quosdam morum exhibet pollere integritate: miram hominum somnolentiam negligentiam & tarditatem! quæ id thesauri & divinitus destinati talenti, quod antepedes est, prorsus aut amittunt, aut aliquandiu relinqvunt, imò id thesauri & talenti, quod postmodum summo labore, cum absq; illo nec sibi nec proximo se vivere posse animadvertunt, multifariam repetere urgentur. Enimverò hoc secum perpendere expediret, Naturam ut matrem omnium rerum penitus abhorrere, tam cito reverti atq; fuit fastidita. Exemplum subiicit nobis apud nosmetipsos inveniendum; quis enim quæso nostrum, huc vel illuc paulò post remigraret, ubi nò multo ante per tacitam inobservantiam minus erat respectus? Vel quis gestit & satagit officia sua deponere sine intermissione apud illos, quibus haud accepta eadem esse perſentiscit? At quid dico illam re-

verti?

verti? cum in totum, quia aliena nutriendo & conservando supervenit, hoc neutiquam fieri possit. Videmus quid infantulos nostros, quibus lac nutricum imbibere permittimus, sequatur, quantum a parentum moribus discrepent & dissideant, videmus: Testem insuper Senecam produco sic asserentem. Nulla naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quicquid ingenitum est & infixum lenitur arte, non vincitur. Quod si igitur in naturalibus vitiis, concedatur, quandam arte posse fieri illorum laxationem & lenimen, ita quidem, ut parte quadam vis & effiacia suae irreparabiliter (semper enim ab adventitia illa arte haeret aliquid) destituantur, quis esset tam bardus & stupidus, tam injustus aestimator, quin & idem Naturae, supervenientibus ipsi aliis virtutum habitibus accidere, omnibus confiteretur modis? Atque sic demum apertis ipsis innotesceret oculis, quanti in bonis natura rerum sola praeter illis quae habitibus & arte recuperamus, esset aestimanda. Quorsum haec? Descende amabo paulisper mecum in carinam Democratiam, vide quanto Monarchicae & Aristocraticae praestet, non in ea Naturam virtutem & industriam suam deprahendis totam collocasse? Bellicas laudes (ait Orator) solent quidam extenuare verbis, casque detrahere ducibus, & communicare cum multis, ne propriae sint imperatorum: & certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, commeatus multum juvant; maximam vero partem, quasi suo jure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum. At verò huius praestantiae & gloriae, quam Democratia a natura est adepta, socium habet ipsa neminem, tota haec, quantumcumque est (quae certè maxima est) tota inquam eius est. Nihil ipsi exin Monarchia, quae dum circa bellum contra rebellantes versetur, sine acquisito fortitudinis & prudentiae habitu, sine centurione, sine praefecto; sine cohorte, sine turma nullum efficere potest; Nihil ipsi Aristocratia quae ex meris virtutum habitibus constat & componitur, decerpit. Non ut in his ambabus fortuna, prudentia, divitiae aliaque concurrunt, Democratia tali opus habet concursu, sola in ipsa dominante Natura; quapropter etiam illae id ultro ei asseribunt, quando tacite hisce ita dant intellectum: Nos in ipsius praestantiae & gloriae societatem impares non offerimus, ipsi cedimus ipsi esse totam ac propriam fatemur. Dissentaneum veritati nondum statui, & quidem hoc unicum mihi & aliis satis sufficeret, nisi

Cicero

propter alios supra debitum, ad evidentiorē, copiosiorē, ocularemq; fidem sequentia q voq; annectere commoverer. Ecce neganti Democratiam reliquis duabus ordine naturæ esse inferiore, id insuper mihi animus sit reponendi: me admirari satis non posse, qui ex regia via rationis, etiam primæ ætatis notissima, exorbitarit, aberrarit, inq; tam deserta loca, irremeabilemq; ferè labyrinthum incidit, quandoquidē per naturam id promptè & sufficienter cunctis dicitur hominibus, patrem cui filius vitam acceptam referat, illo esse præstantiorem. Si enim illum nobis digniorem dijudicamus, cuius ope extra parentes adjuvamus, quidni dignissimum, à quo vitam nacti sumus arbitremur? Quid si illum, cui subiecti sumus, multum suspicimus, quid non cum qui in nos necis vitæq; potestatem habet pluris facimus? et quid multis? si potiorem locum non denegamus ei, qui nos antevenit, annè, si nulla alia ratio procedere valeat, potissimum illi debemus, qui in eadem cum nostrâ prior fuit essentia? Atq; ita facile pateat, Democratiam, ex qua reliquæ duæ animâ sunt præditæ, quisquis etiam contradicat, præstantiâ superare; quippè, si habuerit populum, facilis sit mihi labor instruendi Monarchiam & Aristocratiam; non verò si mihi modus sit illarum, statim mihi erit populus: Adiicio, quanto æterna caducis, divina humanis, humana brutis respondent, tanto injustitiam rectæ justitiæ amissi respondere. Horreo & obstupesco ferè hæc proferens! fundamentum perpetuæ commendationis, justitiam, sine qua nihil potest esse laudabile, relinquimus! relinquimus illam virtutem; cuius ductu nosmetipsos ad amamus nostramq; salutem promoveamus! Amamus enim nosipsos, quando in id vnicè incumbimus. ut velimus omnibus prodesse, nulli nocere; nam eo ipso asservatur felicissimus Politicæ ordo, quo destructo & nos destrui mur, salvato & nos salvamur. Fundamentum infelicissimæ notæ, injustitiam, per quam omnis flos honoris decrevit, marcessit, evanescit, omnia loca squalida situq; obsita jacent, arripimus! arripimus illud vitium, unde proximus ad Politicæ demolitio-nem datur aditus, patentq; fores! Etenim nihil aliud, si penitiùs rem introspeciamus, illud est, cum eos qui eadem sunt imbuti naturâ, ex vna eadēq; gente oriundi, vna morū ratione initiati, vni formi consuetudini assuefacti, cōmunēq; corporum & animorum studium patriæ exhibent, ab omnium ipsis debita communitate arcemus & profligamus.

mus,

mus. Colligat igitur quisq; ex oppositione, quid factu opus esset, & inveniet, quia Democratia in se, licet non abusu, luceat claritate, quo honoris cultu cuiq; sit afficienda. Neq; frustra ipsi hanc iustitiam communicatam & attributam quis censeat: si. n. illud esset, maxime me minimi pro illa facti verbi poeniteret. Imò verò diceret aliquis, estne hoc indicatu dignum? trunco similis esto, cui ~~virtutem~~ virtutem comitari non sit notissimum: ex absoluto enim bono, nil nisi bonum sedulo insequitur. At mi respice etiam ad alia; haut enim & nos fugit, virtutibus suos certos esse gradus. Comitetur iustitiam illic illa virtus, comitetur alibi alia, libertas libertas, quia nihil dignius animis, nihil corporibus nostris præstantius unquam obveniat, hic comitatur? an verò hæc cum superioribus, quales etiam illæ in comitatu fuerint, semper & per omnia conveniant, valde adhuc est controversum: alij fiat verisimile, non mihi. Quod si te præterit ipsius dignitas vis & proprietas? en eius insignia, nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, fortunam in æquum reducere, unde exoptatissima Reipubl. tranquillitas, vnanimitas, pax & concordia proficiscuntur. Quod autem Democratia jam temporis, ubi adhuc habetur, necessitati, casibusq; possibilibus & convenientibus sit subjecta, non ipsi, sed perverse hominum voluntati, quæ resistunt & renitentur, imputandum esse facillime obtinebo. si enim in regimine & imperio istius, totum astipularetur mundi opificium, quæ futuræ essent rixæ? quæ oriretur rerum inordinata confusio? sed luci clarissimæ, quid conducit addere lucem? Tribuatur hoc Monarchiæ, tribuatur Aristocratia, potius priusq; cælum commisceretur terræ. Non plus laudis me ipsi velle assignare dixi; neq; illud attingo, quod Romanæ parens eloquentiæ tanquam certissimum de illa perhibet testimonium. Ita inquit præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Suafor quidem ego alicui esse nollem, ut vitam suam, si nihil inde auferret precij, cuidam prostitueret; id autem Ethnicus optimè se consuluisse prospexit, concludendo se cum; neminem in hoc fore sui ipsius proditorem & carnificem, ut si eandem, quam projecerat, aut non meliorem se recepturum vitam præcognosceret, istud aggrediatur. Hem plenam vitæ, hem multa utilitate jucunditateq; refertam Democratiam! cuius saporem majores nostri, sine incessabili gustu appetere quoq; non desierunt. Et certè
illis ipsis,

illisipsis, quid decorum, quid suave, quid utile, quid non, longceis oculis, acutissimoq; pectoris sensu cernere & percipere non admodum erat laboriosum, quod ex variis, quæ apud auctores, hinc & inde deprehendimus exemplis, & multis salutaribus adhortationibus, quibus ut lippis & tonforibus notum est, illa vel illa sequi monemur, apertissime liquet. Et si quis adhuc animi fuerit dubius, revocet, saltem, quibus vixere, tempora faciemq; ipsorum sibi præponat amœnissimam, num præsens ad centesimam eius quædret partem, sp̄sionem cum ipso faciam gravissimam. Non autem tempus ullo modo in rebus secundis vel adversis, loco auctoris, massæ humanæ servire, sed quemq; suæ ipsius fortunæ fabrum esse, verissime accipimus. Unde quam religiose quam commodè singula inceperint, peractarint & finierint, ulterius & prolixius demonstrare duco supervacaneum. Præceserunt illos idem cum ipsis exemplo suo comprobantes; urbs Atheniensis, omnium judicata prudentissima, urbs Roma, omnium æssimata potentissima, secutæ sunt, præter alias non paucas Germaniæ civitates, Respublicæ Helveticæ, montanæ maximè: antecesserunt autem & secutæ sunt ita, ut nisi recedere sint coactæ, permanerint: sic omnes oblectabantur Democratia fructibus, ut eosdem non delibasse, sed gustasse, non gustasse, sed percepisse, ambrosiam veram judicarent. Immo, si quis cum pollicitatione aureorum montium, apud illos, tum precibus se insinuare voluisset, ut vel Monarchiam vel Aristocratiam amplecterentur, omnibus posthabitis, igni & aquâ ipsi interdixissent, & proditorem patriæ declarassent, optimè reputantes, ex ungibus leonem, ex plumis avem, ex nomine suo Democratiam evidentissimè cognosci, sub quo omniū pulcherrimum & speciosissimum æqualitatis exemplar, præ reliquis advertabant: sponte tale quid relinquere, summa illis erat religio. Ergo vinò vendibili suspensa hederæ præterea non sit opus, artificem celebrat opus, nec veritas unquam, quovis etiam modo id attentetur, se patitur occultare, quæ quæ, admodum sol radiis suis de nocte exuperat densissimum & tenebricosum terræ globum, lunæq; lumen suppeditat, simili ratione omnes falsitatum densitates & caligines occupat, radios supra illas transmittit, jamq; nondum confirmatis suggerit additamentum. Exemplum foris assumptum non tam movet, quam quod domi nobiscum modò offendimus. Hic è diametro nobis magis magisq; sit manifestum, quàm

quam legitimè Monarchia & Aristocrazia, nubi tenebricosa, quàm
Democratia, ut sol, claritate sua transcendit, æquiparentur. In Mo-
narchia enim, quemadmodum non est in obscuro, Tyrannidem,
committi, gratiam quæri, & quemq; privatum commodum sectari
quis mihi abnegabit? Testis est inter Darium & Alexandrum Ma-
gnum ineunda transactio, quæ sic habet. Darius obtulit has con-
ditiones Alexandro, ut ab ipso acciperet talentorum decem millia,
& insuper Asiam secum ex æquo partiretur; id cum recusaret Ale-
xander. Ego, inquit, Parmenio, accepissem, si Alexander essem: Et
ego inquit Alexander, si Parmenio essem. Dario autem hunc in mo-
dum respondit; neq; terram duos soles, neq; Asiam duos reges ferre
posse. Ubi omnino cruentus Tyrannidis fervor, aucupium gra-
tiæ, quæ nunquam à Tyrannide divellitnr (quis enim ibidem non
blanditur) propriiq; commodi inquisitio & venatio exactissimè per-
ficitur. In Aristocrazia verò ambitionem, invidiam, factiones & se-
ditiones, Tyrannorumq; copiam oriri & foveri experimur. Quisq;
enim optimatum ibi præcellere non desistit, modò dives, modò do-
ctus, modò qui morum candore celebris, prædominari cupit, & si
quis illorum aliquanto altiùs evehitur, id alter alteri invidet, unde
quid postea sequi soleat, multà est comprobatum experiètià. Testis
est Sicyoniorum Respub. quæ postposita Democratia præter volun-
tatem multo toleravit tyrannos. Testis est Romana Decem viris illis
decem Tarquiniis superbissimis concredita, & ab ipsis gubernata.
Testis est Atheniensis, cui triginta à Lysandro nomine *ἀποκρίται* con-
stituti & custodes, non minimum infixere perniciæ vulnus. Testis
est Polonia: testis est Gallia, multaq; alia urbes & regiones, quarum per-
cepto exinde malo, habita temporis ratione merito supersedemus:
Sufficiat igitur hæc auditores præstantissimi pro claritate & præstan-
tia Democratia dixisse; pro æquo vestro iudicio illa cuncta ponderate:
revocate obsecro obtestorq; in memoriam, quid præminentia
natura, excellentia necessitas, gloria æquitas, honoris libertas, lau-
dis vetustas, jucunditatis utilitas, utilitatis jucunditas, reliquarum
Rerump: iniquitas & infelicitas ipsi tribuat & ascribat. Deus tamè
pro infallibili sua scientia, incomprehensibili omnipotentia, quævis a-
pud nos disponat, componat & dirigat, ut in sui nominis gloriam, no-
strorum


B

strorum

frorum autem omnium salutem, clementer vergant & consum-
mentur.

Quod superest, præstantissimo huic concessui, quòd in præsen-
tia nobis se facilem auscultando præbere voluerit, vicissim com-
paremus in ea, quâ par est, observantia, repromittendo
nostra, quæ à nobis, sine exceptione, vel loci
vel temporis, expectari poterunt, offi-
cia promptissima, paratiffi-
sima :

Atq; igitur dixi, ferrent quæ tempora curta.





A U T H O R I.

Sicut abundantem sperat cum scenore fructum
Agricola, ut satio sat benè facta fuit:
Sic & abundantiè speret cum scenore fructum,
Ingenij fuerit cui benè cultus ager.
Artibus ingenuis animum excoluisse **GEORGI**,
Et mentem Sophiâ perficere usq; studes.
Testari hoc potis est, quam das, Oratio: namq;
Cultum & conatus indicat illa tuos.
Eugè! utriusq; tui mensuram nominis imples,
Atq; studes, reverà ut, quod es, esse queas.
Perge, ut cœpisti. tibi erit sapientiæ & artis,
Sic benè cultus ager, sic benè tactus apex.
Gratulor: aspiret summi clementia Jovæ; ut
Semina dent fructum, quæ benè jacta, bonum


F. IOANNES TARNOVIUS
S.S. Theologiæ P.P.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


F. JOHANNES FARNOVIVS
S. Theologiae P.





quam legitimè Monarchia & Aristocratia, nubi t
Democratia, ut sol, claritate sua transcendit, equi
narchia enim, quemadmodum non est in obscuro
committi, gratiam quæri, & quemq; privatum c
quis mihi abnegabit? Testis est inter Darium &
gnum ineunda transactio, quæ sic habet. Dariu
ditiones Alexandro, ut ab ipso acciperet talentoru
& insuper Asiam secum ex æquo partiretur; id c
xander. Ego, inquit, Parmenio, acceperem, si Ale
ego inquit Alexander, si Parmenio essem. Dario a
dum respondit; neq; terram duos soles, neq; Asiam
posse. Ubi omninò cruentus Tyrannidis serv
tiæ, quæ nunquam à Tyrannide divellitnr (quis e
blanditur) propriiq; commodi inquisitio & venati
ficitur. In Aristocratia verò ambitionem, invidia
ditiones, Tyrannorumq; copiam oriri & foveri ex
enim optimatum ibi præcellere non desistit, modò
ctus, modò qui morum candore celebris, prædor
quis illorum aliquanto altiùs evehitur, id alter al
quid postea sequi soleat, multà est comprobatum e
est Sicyñiorum Respub. quæ postposita Democra
tatem multos toleravit tyrannos. Testis est Roman
decem Tarquiniis superbissimis concredita, & ab
Testis est Atheniensis, cui triginta à Lysandro non
stituti & custodes, non minimum inflixere pernici
est Polonia: testis est Gallia, multaq; aliæ urbes & reg
cepto exindè malo, habita temporis r atione merit
Sufficiat igitur hæc auditores præstantissimi pro cla
tia Democratia dixisse; pro æquò vestro iudicio il
rate: revocate obsecro obtestorq; in memoriam, qu
natura, excellentiæ necessità, gloriæ æquitas, hon
dis vetustas, jucunditatis utilitas, utilitatis jucundi
Rerump: iniquitas & infelicitas ipsi tribuat & ascriba
pro infallibili sua scientia, incomprehensibili omni
pud nos disponat, componat & dirigat, ut in sui nom

B



vāna
Mo-
em,
stari
Ma-
on-
ia,
Ale-
Et
mo-
re
gra-
on-
per-
se-
isq;
do-
& si
ndè
estis
un-
illis
a.
on-
stis
per-
us:
an-
de-
tia
au-
m-
mè
s a-
no-
una